

DE CONSERVANDA

ribus iuuenibus, sanis, fortibus laborantibus, non dispositis ad oppilationes, & his qui impinguari cupiunt, huiusmodi enim corpora indigent plurimo nutrimento, & difficulter resolubili. Ideo Rhazes 3. ad Mansorem, cap. 9. Caro autem, inquit, crassa multum laborantibus conueniens est, subtilis uero his qui predictis sunt contrarij, conuenit. Idem semit & Auicenna 3. 1. Doctr. 2. cap. 7. Exercitati præterea ac multilaboris, magis tolerant crassa alimenta, aliter etiam potest attendi præstantia, & electio carniū, & temperata uidelicet complexionē, facili digestione, & sanguinis inde geniti temperantia, ut scilicet illa dicatur caro melior, quæ temperatæ sit complexionis, facili digestionis, sanguinem in caliditate & frigiditate, subtilitate & crassitie temperatum generans, & hoc modo, hædina est melior ac laudabilior cæteris, teste Rhaze, Auicenna & Auerroë: Dicit

Hædina. enim Rhazes 3. ad Mansorem, cap. 9. Hædina caro est temperata, nullam in se habens malitiæ admixtionem, quæ licet temperatum generet sanguinem, laborantibus tamen non congruit, cui nulla alia caro præferenda est, non est enim adeo debilis, ut ex ea uirtus destruat, neque eius nutrimentum adeo multum est & crassum, ut ex eo in corpore proueniat repletio, & crassus generetur sanguis. Sanguis quoque qui ex eo generatur, inter subtilem & crassum, ac inter calidum & frigidum existit. Et hæc non conuenit multum laborantibus, sed iuuenibus temperatis, exercitijs